

Q. D. B. V.

222.

AD DVPLICEM

NIMIRVM

ENCAENIORVM GYMNASII

TVM VERO ETIAM

INAVGVRATIONIS SOLEMNITATEM

QVA

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

MAGISTRATVS ELBINGENSIS

IVSSV ET AVCTORITATE

VIRO

PRAECLARISSIMO DOCTISSIMOQVE

DOMINO

IOANNI SAMVELI FROM

RECTORI HACTENVŠ SCHOLAE MARIAEBVRGENSIS ET REGIAE
TEVTONICAE SOCIETATIS REGIONTANTANAE MEMBRO ORDINARIO
CONRECTORIS IN ATHENAEO DRVŠICO

VT ET

PROF. PHIL. PRACT. AC HISTOR. ET POESEOS PVBLICI

MVNVS

D. XXVII NOVEMBRIS MDCCLXVI

DEMANDETVR

REGIAE HVIVS VRBIS

PATRES CONSCRIPTOS

COETEROSQVE

BONARVM ARTIVM FAVTORES ET AMICOS

EA QVA PAR EST REVERENTIA ET OBSERVANTIA

INVITAT

SIMVLQVE

De fonte salutis in Ecclesia & Scholis christianorum scaturiente

NONNVLLA PRAEFATVR

IOANNES LANGIVS

GYMN. RECT. P. P. O. ET BIEL.

ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Dubl. do 584

INAVGATIONE SOLEMNITATE

MAGISTRATUS

JOHANNI SAMUEL RONI

CONSTITUTIONE

CONSTITUTIONE

CONSTITUTIONE

CONSTITUTIONE

Pa 8.11.421



Quam varium, quamque multiplex eorum, qui divini-
 oracula litteris nutriti, cum veteris tum novi foederis
 doctrinae litteris nutriti, cum veteris tum novi foederis
 oracula interpretantur, sit studium atque labor, ex Theologiae
 cultoribus ad unum fere norunt omnes. Nam dum Sacra Scri-
 ptura fluminis naturam induit, ex quo teste b. Luthero & agnus
 & camelus sitim levare possunt suam: mirum non est, quemvis
 pro eo, quo ducitur litterarum amore, ad pandectarum divinarum
 interpretationem accedere, & in rebus ac antiquitatibus sacris
 explicandis enodandisque unum ad hoc, alterum ad aliud descen-
 dere genus. Sunt hinc, qui in religione Judaica ejusque caerim-
 onii multa, a peregrinis, praesertim Graecis assumpta, se inve-
 nisse credunt. Sunt e contrario etiam, qui res sacras in scriptis
 gentium obvias esse statuunt. Hoc alios inter Summe Rever.
 Academiae Salanae Professor Hallbauer in diss. de sacris in profa-
 nis plenius exposuit: illud vero, qui Graecam LLque OO. olim
 magna cum laude Helmstadii docuit Lakemacher in observatio-
 nibus suis Philologicis P. I. 2. summo studio summaque eru-
 ditione praestitit, cujus sententiae de solemniquae, ex fonte
 Siloami haustae, effusione, in tabernaculorum festo observata, in
 praesenti meminisse juvat.

Statuit Vir ille Tel: hanc Judaeorum consuetudinem, ob summam caerimoniarum affinitatem, quae in Graecorum bacchanalibus & Israelitarum diebus, festo tabernaculi sacris deprehenditur, a gentilibus petitam, ad cultum veri Dei magis exornandum, adhibitam fuisse. Quae autem si veritati convenirent, Salvator utique noster, tanquam rigidus cultus Israelitarum divini reformator, illum aquam ex fonte Siloami hauriendi & ad altare effundendi ritum, ab ethnicis acceptum, atro notasset carbone: quippe religionis Judaicae sanctitati repugnat, ea, quae gentilium sacra redolent, imitari. Ast hanc Judaeorum solemnitatem ille non modo non reprehendit, sed tacendo potius approbat, eique calculum addit suum, dum occasione ab hac aquarum effusione sumpta, exclamat: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Jo. VII, 37. Vidit enim Christus maxima animi laetitia in die, qui festi erat celeberrimus, postremo populum solemnem pompa aquae abundantiam ex torrente Siloami in templum asferre, eundemque audivit, ubi sacerdotibus tradita cum vino ad altare effundebatur, magna voce canentem illud Jesaiae: Haurietis aquas in laetitia ex fontibus salutis. c. XII, 3. Quae verba ipso Joanne interprete c. XII, 39. dona gratiae, in primis Spiritus Sancti indicant, quae credentibus largiturus est Messias.

Siquidem ille non homines modo redemit & felicitatem ipsis promeruit aeternam, sed in Ecclesia etiam fontes scaturire fecit, ad quos pie viventibus frequenter properare licet, quo salutem ex illis hauriant, conservent, augeantque. Quid enim doctrina illa coelestis exsuperans, in verbo divino nobis revelata? Quid sacramenta Ecclesiae, a Christo instituta, aliud sunt, quam fontes saluberrimi, qui omnibus patent, & ex quibus gratiam prae gratia ac spiritualem aeternamque salutem summa cum animi oblatione & jucunditate haurire possumus?

Ast non in Ecclesia modo rivi manant doctrinae & salutis exuberantes, qui mentis oculos, luce divina collustratos recreant, & cordibus

cordibus hominum arefactis se infundunt; sed ea quoque Scholarum est indoles, ut fontium imagine adumbratae considerari possint. In illis enim officinis, in quibus reliquas inter scientias salutifera de Christo doctrina primum occupat locum, tanquam ex fonte vivente optimarum artium ac disciplinarum hauriuntur thesauri. Non dicam, antiquitatem illam, quae in fabulis pangendis admodum erat occupata, idem sub fictis Hippocrenes & Aganyapes fontibus aliqua ex parte jam repraesentasse; sed hoc saltem annotandum esse puto, salubrem eam doctrinae tradendae hauriendaeque rationem, quam Spiritus Sancti officinae expetunt, Israelitarum legislatoris verbis, quibus populo suo ultimum dixit vale, jam praefiguratam esse, dum: destillabit, inquit, in modum pluviae doctrina mea, & fluet ut ros oratio mea. Deut. XXXII, 2. Quemadmodum enim ros & pluvia coelitus delapsa, rivulorum imo fluviorum instar humum largiter exuberant sitientem, & iis, quae ex terris nascuntur, vigorem tribuunt: ita & doctrina, quae a Deo profecta, in auctoris aeterni laudem hominumque salutem in scholis christianorum traditur, animum discendi cupidum reficit & corroborat, ita ut, qui rerum divinarum ac humanarum hausit cognitionem, non suam modo, sed aliorum quoque felicitatem promovendi facultate exornetur.

Id quod licet semper animo sit perpendendum, opportune tamen nunc cogitamus, dum spartam tristissimo Viri Praeclarissimi Doctissimi que Domini IOANNIS DANIELIS HOFFMANN, Contr. Prof. Phil. Pract. ut & Hist. & Poesos Publ. olim meritissimi obitu in Gymnasio patrio vacuefactam quam maturissime resarcire, eamque MAGNIFICVS & AMPLISSIMVS Vrbis MAGISTRATVS pro eo, quo est, in Musas nostras benignissimo affectu & favore Viro Praeclarissimo Doctissimo que Domino IOANNI SAMVELI FROM, Scholae Mariaeburgensis hactenus Rectori & Regiae Teutonicae Societatis, quae Regiomonti floret, Membro Ordinario ob dudum perspectam ejus eximiam eruditionem & docendi aptitudinem demandare voluit. Cujus vitam & studiorum, quae tenuit,

rationem ex adjecta pro more descriptione, ipsius Viri Doctissimi calamo exarata, fufius perfpicere licebit, in qua ita de se Noster:

Ego IOANNES SAMVEL FROM, parente pie defuncto M. Nathanaele Ephraim From, coetus patrii Pastore quondam dilectissimo, quoad famam adhuc superstitē, anno praesentis saeculi quinto & tricesimo, mensis Junii die octavo Mariaeburgi natus sum, majoribus vero usus ex familia nobilium Anglorum From Frahne propter religionem olim ex patria profugorum. Per undecim aetatis adultioris annos ad initia litterarum & prudentiorem morum compositionem sensim sensimque efformari coepi, Rectoribus maxime scholae patriae eo tempore fidelissimis, patrueli nuper beate mortuo M. Samueli Ephraim From & post eum M. Godofredo Schustero, quidquid ad altiora studia academica aliquam commendationem habet, acceptum ferendum esse, ingenue statuens. Ita in musarum consuetudinem haud invite admissus Regiomontum me anno tertio & quinquagesimo contuli, intimioribus earum sacris iniciandus. Hoc consilio scholis Theologicis non minus ac Philosophicis sedulo interfui, virorum illa aetate in artibus suis celeberrimorum, nimirum in doctrina sacra summe Reverendorum Doctorum Schultzii, Arnoldii, Lilienthalii, Hahnii praeceptis imbutus, Mathesin vero, Philosophiam, Stilum & Historiam, praeecuntibus Professoribus & Magistris excellentissimis D. Langhansenio, Güttero, Teskio & Lindnero edoctus. Venae tum qualiscumque poeticae exhibitae quibusdam primitiis regia societas teutonica dignum me censuit, cui anno sexto & quinquagesimo in numerum suum recepto, sedem inter membra sua offerret, praemisso ad hanc dignitatem promerendam pro more specimine ligatae orationis: de silentio pythagorico. Postea in eo sermonis genere diligentius exercitatus, varia solemni occasione oblata, ejus ac meo nomine non pauca maturioris saltem ingenii publice exhibui documenta. Domum anno septimo & quinquagesimo tandem

tandem reversus cum in hac arte nonnullis editis elaborationibus excolenda, tum in reliquo litterarum ambitu strenue persequendo, tum in sermonibus sacris ad concionem habendis omne fere tempus collocavi. Per duos annos impigre hoc modo occupatus, iter jam Rostochium, & in hoc litterarum altrice annuam saltem commorationem meditabar, ut ibi qualicumque virium mearum periculo facto, pro capeffendis summis in Philosophia honoribus dissertationem aliquam publicae eruditorum disquisitioni subjicerem; quum civitas patria circumscriptis reliqui scientiarum stadii terminis, fructus ex solo suo natos peculiari quodam jure sibi vindicaret, mihi-que tum vacantem Rectoris spartam sponte offerret. Quantum per octo fere annos, quos hoc munus sustineo, officiis in eo obviis cum publica, rem litterariam adjuverim, quidquid ingratorum, si qui fuerint, invidia obtrectaverit, testes loquentur fide satis digni, juvenes, qui ex mea disciplina in altiores liberalium artium officinas, non cruda, ut mihi quidem persuadeo, propulerunt studia. Neque tamen jugo hoc satis duro impeditus nuntium plane nisi aliis litterarum exercitiis. Inter alia consilio fautorum Magnifico civitatis Gedanensis Senatui felicissima anni secundi & sexagesimi auspicia carmine heroico gratulatus, altero anno post a Reverendo hujus civitatis Ministerio Candidatorum numero adscriptus sum. Per annum circa scripta quaedam periodica publice edenda sponte occupabar, deinde anno quarto & sexagesimo publicam scholae patriae lustrationem praemisso programme indixi, quod in promovendis litterarum studiis beneficia eorum, qui rebus publicis praesunt, illustrat. Denique inter gaudia publica de *Serenissimo Nostro Rege & Domino* STANISLAO AVGVSTO in summo otio & felicissime electo, neque mihi temperare potui, quin solemnii occasione homagii a Borussiae terris principi dignissimo praestiti obvia, qualicumque carmine hanc communem omnium laetitiam admirationis testem celebrarem. Ad haec usque aetatis stamina meorum

in patria laborum tela pertexta est, cujus rationem mihi, sub
abitum, reddendam fuisse ratus, Conrectoris & Professoris
publici in Gymnasio provinciam a MAGNIFICO ELBIN-
GENSIUM SENATU rite mihi demandatam, divina gratia,
Maecenatum benevolentia & protectione, felicique successu
fretus prone fuscipio. Q. D. F. F. Q. E. J.

Hic est Vir ille, ad quem evehendum, eumque Doctores
inter Gymnasii Elbingensis ponendum, crastinus B. C. D. desti-
natus est dies, Encaeniis Seminarii Civitatis infimul dicatus.
Ad quam igitur duplicem festivitatem rite & ex voto MVNIFICEN-
TISSIMORVM Scholae NVTRITORVM peragendam, ILLVSTREM, PER-
MAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS ac CONSVLTISSIMOS VRBIS
PROCERES, submisso observantiae cultu aetatem prosequendos, nec
non EXCELLENTISSIMOS, PLVR. REVERENDOS, CLARISSIMOS, PRAENO-
BILES, NOBILES, SPECTABILES, HYMANISSIMOSQUE FAVTORES & AMI-
COS submisit, officiose & peramanter invitamus. Aperiet hac
occasione Gymnasii Rector, voluntatis publicae interpret, prae-
via brevi oratiuncula *de dulci, qui ex amara litterarum radice*
progeminat, fructu, cathedram novo Conrectori ac Professori,
muneris sibi demandati auspicia sermone inaugurali *de meteoris*
rei scholasticae inchoaturo.

Quod reliquum est, DEVM, omnis sapientiae statorem ac
conservatorem, ardentissimis invocamus precibus, ut Scholam
Civitatis publicam, fontem illum, quem ante centum & sexaginta
septem annos concessit, manusque ejus effodit, florentem, sar-
tam & intactam quam benignissime tueatur, eamque ad feros
usque posteros doctrina de Christo saluberrima, bonarumque ar-
tium praeceptis utilissimis aeternum exundare jubeat. P. P.
Elbingae, d. XXVI. Nov. MDCCLXVI.

